

§ II

De passionibus appetitus irascibilis.

[I et II. SPES et DESPERATIO. — Spes est motus appetitus tendens in bonum futurum difficile et arduum, adeptu tamen possibile. Desperatio, e contra, est motus recedens a bono arduo adeptu impossibile, saltem moraliter¹. In juvenibus et ebris aliisque qui non utuntur deliberatione, abundat spes, quia propter difficultatum inconsiderationem facile aestimant se id posse consequi quod volunt.

III. AUDACIA. — Audacia est motus quo appetitus insurgit adversus malum terribile imminens, ad ipsum fugandum et superandum². Dicitur terribile, quia mala levia contemnuntur. Neque obstat quod omnis actus prosecutionis, qualis est audacia, sit de bono; nam audacia est quidem de bono, sed etiam de malo sub ratione boni. Fertur enim in malum vincendum et fugandum, quæ victoria et fugatio est bona et utilis ad consequendum bonum quod sperat appetitus.

IV. TIMOR. — Timor est motus appetitus circa malum futurum arduum imminens cui non nisi difficile potest resisti, seu est dejectio animi victi gravitate periculi³.

Effectus timoris est contractio, non solum metaphorica qua appetitus a malo victus recedit et in se ipso colligitur, sed propria et corporalis, quatenus ex timore valor et spiritus ad interiora, præcipue ad cor, contrahuntur, non ut inde impetum faciant, sicut in ira, desiderio et audacia: sicut videmus in civitatibus quod, quando cives timent, retrahunt se ab exterioribus et recurrunt, quantum possunt, ad interiora et munitiora, ut salventur⁴.

Ex hoc effectu plures alii nascuntur, scilicet tremor, pallor, vocis interclusio, erectio capillorum, quandoque

1. Hic q. 40. — 2. Hic q. 45. — 3. Hic q. 41. — 4. Hic q. 44, a. 1, o.

subita canities, deliquium animi, stupor, turbatio mentis, sitis, faucium ariditas, etc.

V. IRA. — Ira est appetitus vindictæ cum fervore sanguinis circa cor¹. Differt ab odio inimicitæ in eo quod odium velit malum proximo ut illi malum, iratus autem vult illi malum sub ratione justæ vindictæ.

Præcipua causa iræ est parvipensio et contemptus, qui eo major est quo major est excellentia irati.

Effectus iræ sunt: 1° delectatio ob spem vindictæ, quæ est remedium injuriæ acceptæ; 2° fervor in corde; 3° turbatio mentis et corporis; 4° taciturnitas, vel quia turbata ratio passione, digna non reperit, vel quia tanta est turbatio, ut lingua ab usu naturali impediatur².]

DISSERTATIO II

DE VIRTUTIBUS

D. Thomas, I, II^o, a q. 55 ad q. 67.

[Post actus humanos et passiones, considerat S. Doctor principia actuum humanorum, et primo principia intrinseca, quæ sunt potentiæ et habitus. Sed quia de potentiis jam dixit in 1^a p., q. 77, de habitibus tantum hic agit, et primo de habitibus in genere, a q. 49 ad q. 54. Quia vero quæ spectant habitus in genere proprie sunt philosophica et minus necessaria, ideo ea hic omittimus. Deinde considerat de habitibus in speciali, et primo de habitibus bonis, qui sunt virtutes; secundo, de habitibus malis, scilicet de vitiis et peccatis. Itaque de virtutibus pauca dicenti sumus hic, postea autem de peccatis tractabimus.]

1. Hic q. 46 et 47. — 2. Hic q. 48

ARTICULUS I

Quid sit virtus, et quotuplicis generis?

D. Thomas, q. 55.

[I. — Nomen *virtutis* a substantivo *vis*, quod fortitudinem exprimit, derivatum est, quia habitus virtutum animam fortem efficiunt, et quilibet eorum actus aliquam fortitudinem supponit, sine qua non potest exseri. Quandoque sumitur virtus pro ipso effectu potentiae operativae, ut *Matth.*, vii, 22 : *In nomine tuo multas virtutes fecimus*. Sed hic sumitur pro quadam qualitate superaddita creaturae rationali, qua fit ut operetur prompte, facile et recte.

Virtus a Cicerone definitur, lib. II *de Inventione* : « Animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus. » Verum est quidem eam talem habitum esse, sed, ut animadvertit S. Aug., lib. IV *contra Julian. Pelagian.*, c. 3, n. 19, qui virtutem sic descriperunt « quid sit consentaneum liberandae ac beatificandae naturae mortalium nescierunt. » Ipse dicit, *de Morib. Eccles. cathol.*, c. 6, virtutem esse « habitum et quasi sapientis animae qualitatem, animam facientem optimam. » Unde prodiit definitio sequens ab Angelico admissa¹ : « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. » Sic eam ibi propugnat S. Doctor : « Ista definitio perfecta complectitur totam rationem virtutis. Perfecta enim ratio uniuscujusque rei colligitur ex omnibus causis ejus. Comprehendit autem praedicta definitio omnes causas virtutis. Causa namque formalis virtutis, sicut et cujuslibet rei, accipitur ex ejus genere et differentia, cum dicitur *bona qualitas*; genus enim virtutis *qualitas* est, differentia autem *bonum*. Esset tamen convenientior definitio, si loco qualitatis *habitus* poneretur, qui est genus propinquum. Virtus autem non habet mate-

1. Hic q. 55, a. 4, o.

riam *ex qua*, sicut nec alia accidentia, sed habet materiam *circa quam*, et materiam *in qua*, scilicet subjectum. Materia autem circa quam est objectum virtutis, quod non potuit in praedicta definitione poni, eo quod per objectum determinatur virtus ad speciem, hic autem assignatur definitio virtutis in communi : unde ponitur subjectum loco causae materialis, cum dicitur quod est *bona qualitas mentis*. — Finis autem virtutis, cum sit habitus operativus, est ipsa operatio. Sed notandum quod habituum operativorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi, aliqui vero quandoque ad bonum et quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum. Et ideo, ut discernatur virtus ab his quae semper se habent ad malum, dicitur, *qua recte vivitur*; ut autem discernatur ab his quae se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur, *qua nullus male utitur*. — Causa autem efficiens virtutis infusae, de qua definitio datur, Deus est. Propter quod dicitur : *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Quae quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus et acquisitis et infusis. »

Ex dictis colliges, 1^o virtutem esse essentialiter habitum operativum actus boni¹.

Quod sit habitus, patet; quia habitus in communi dividitur per se in virtutem et vitium; per habitum enim disponuntur potentiae animae rationalis, quae se habent indeterminate ad multa : si disponantur convenienter, est virtus; si disconvenienter, est vitium².

Quod sit habitus operativus, etiam patet; quia virtus, ex ipsa ratione nominis, et ut dictum est, importat quamdam perfectionem potentiae. Perfectio autem addita alicui potentiae, ei conformatur. Ergo, sicut potentiae rationales sunt operativae, ita et virtutes eis superadditae³.

Tandem, quod sit habitus operativus actus boni, pari-

1. Ibid., a. 1, 2 et 3, o. — 2. Ibid., a. 1, o. — 3. Ibid., a. 2, o.

ter constat; quia, cum potentiae rationales sint operativae actus, tam in genere entis quam in genere moris, oportet quod virtus qua perficiuntur, ut sit eis conformis, utramque rationem attingat. Nam, quamvis potentia rationalis possit absolute se sola attingere actus substantiam et moralitatem, id tamen non potest prompte, facile et expedite; per virtutem vero fit ad utrumque prompta et expedita¹. Per se tamen primo respicit actus moralitatem seu bonitatem, secundario entitatem; quia virtus est essentialiter in genere moris, cum sit ad bene moraliter operandum essentialiter ordinata.

Colliges 2^o potentiam et virtutem in ratione causae non poni in numero, nec esse plures causas, sed potentiam esse causam et virtutem complementum causae, ex quo et potentia exsurgit una causa completa. Potest enim, ut dixi, potentia sine virtute quod potest cum illa (loquendo de virtutibus moralibus in ordine naturali); sed sine virtute, hoc potest imperfecte tantum, incomplete et difficile, cum virtute vero complete, facile et expedite.

II. — Virtus humana generatim dividitur in *moralē* et *intellectualem*. Est enim virtus humana, ut dictum est, habitus operativus actus boni, seu habitus perficiens hominem ad bene operandum. In homine autem principium operandi duplex est, scilicet intellectus sive ratio, et appetitus. Ergo omnis virtus humana est perfectiva vel rationis vel appetitus. Si sit perfectiva intellectus sive speculativi sive practici ad bonum hominis actum, utpote ad recte judicandum, erit virtus intellectualis; si autem sit perfectiva appetitivae partis, utpote ad recte eligendum, erit virtus moralis². Hinc recte infert Angelicus³ quod virtus moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus, sicut sine sapientia, scientia et arte, non autem sine intellectu et prudentia. Moralis enim virtus est circa electionem. Electio autem, ut sit bona moraliter, debet esse recta, tum quoad finem rationi convenientem, quod esse non potest sine intellectu

1. *Ibid.*, a. 3, o. — 2. *Hic* q. 58, a. 3, o. — 3. *Ibid.*, a. 4, o.

recte judicante; tum quoad media ordinata ad finem, quod sine prudentia esse non potest.

Ex virtute morali homo ordinatur ad operationem moraliter bonam, quae est ejus effectus. Sed operatio ipsa considerari potest ut materia *circa quam* virtus ipsa moralis versatur, et ex hoc capite virtutes morales generice dividuntur in virtutes quae sunt circa actiones et in virtutes quae sunt circa passionem. « Cujus ratio est, ait S. Thomas, hic q. 60, a. 2, o, quia bonum et malum in quibusdam operationibus attenditur secundum seipsas, qualitercumque homo afficiatur ad eas, in quantum scilicet bonum in eis et malum accipitur secundum rationem commensurationis ad alterum. Et in talibus oportet quod aliqua sit virtus directiva operationum secundum seipsas, sicut emptio et venditio, et hujusmodi operationes, in quibus attenditur ratio debiti vel indebiti ad alterum. Et propter hoc justitia et partes ejus proprie sunt circa operationes sicut circa propriam materiam. In quibusdam vero operationibus bonum et malum attenditur solum secundum commensurationem ad operantem; et ideo oportet in his bonum et malum considerari secundum quod homo bene vel male afficitur circa hujusmodi. Et propter hoc oportet quod virtutes in talibus sint principaliter circa interiores affectiones, quae dicuntur animae passionem: sicut patet de temperantia, fortitudine et aliis hujusmodi. Contingit autem quod in operationibus quae sunt ad alterum praetermittatur bonum virtutis propter inordinatam animi passionem, et tunc in quantum corrumpitur commensuratio exterioris operationis, est corruptio justitiae; in quantum autem corrumpitur commensuratio interiorum passionum, est corruptio alicujus alterius virtutis: sicut, cum propter iram aliquis alium percutit, in ipsa percussione indebita corrumpitur justitia, in immoderantia vero irae corrumpitur mansuetudo. Et idem patet in aliis. »

Exinde patet natura illarum virtutum quae communiter dicuntur cardinales, et earum numerus.

Etenim, cum loquimur simpliciter de virtute, de

humana virtute agitur. Virtus autem humana, secundum perfectam rationem virtutis, dicitur quæ requirit rectitudinem appetitus. Hujusmodi enim virtus non solum facit facultatem bene agendi, sed ipsum etiam usum boni operis causat. Sed secundum imperfectam rationem virtutis, dicitur virtus quæ non requirit rectitudinem appetitus, quia solum facit facultatem bene agendi, non autem causat boni operis usum. Constat autem quod perfectum est principaliter imperfecto; et ideo virtutes quæ continent rectitudinem appetitus dicuntur principales seu *cardinales*. Hujusmodi autem sunt virtutes morales, et inter intellectuales sola prudentia, quæ etiam quodam modo moralis est, in quantum est recta ratio agibilium¹.

Quatuor sunt, ut omnes norunt, virtutes cardinales: prudentia, justitia, temperantia et fortitudo. Hujus divisionis ratio assignatur a S. Thoma hic a. 2, o: « Numerus, inquit, aliquorum accipi potest aut secundum principia formalia, aut secundum subjecta, et utroque modo inveniuntur quatuor cardinales virtutes. Principium enim formale virtutis de qua nunc loquimur, est rationis bonum. Quod quidem dupliciter potest considerari: Uno modo secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit; et sic erit una virtus principalis, quæ dicitur prudentia. Alio modo, secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo: et hoc vel circa operationes, et sic est justitia; vel circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem. Quæ quidem potest esse dupliciter: Uno modo, secundum quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi; et sic necesse est quod passio reprimatur, et ab hoc denominatur temperantia. Alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo quod ratio dicat, sicut timor periculorum vel laborum; et sic necesse est quod homo firmetur in eo quod est rationis, ne recedat, et ab hoc denominatur fortitudo. — Et similiter secundum subjecta

1. Hic q. 61, a. 1, o.

idem numerus invenitur. Quadruplex enim invenitur subjectum hujus virtutis de qua nunc loquimur, scilicet rationale per essentiam, quod prudentia perficit, et rationale per participationem. Quod dividitur in tria, id est, in voluntatem, quæ est subjectum justitiæ, et in concupiscibilem, quæ est subjectum temperantiæ, et in irascibilem, quæ est subjectum fortitudinis. »

Sunt insuper virtutes theologicæ, sic dictæ ab earum objecto immediato, qui est Deus, prout diversimode attingitur. Sed in se consideratæ, secundum quod potentias animæ humanæ perficiunt, reducuntur ad virtutes morales et intellectuales. De quibus in 2^a 2^m singillatim et fuse agetur.]

ARTICULUS II

De subjecto virtutum.

D. Thomas, q. 56.

[Quædam sunt præsupponenda.

Suppono 1^o virtutem non subjectari in essentia animæ, sed in ejus potentiis: partim quia virtus est perfectio potentiæ, partim quia est habitus operativus. Omnis autem operatio animæ fit immediate per potentiam¹.

Suppono 2^o nullam esse virtutem in potentiis vegetativis, neque in membris et sensibus externis; quia hæc sunt determinata ad unum modum agendi, et posita debita eorum naturali dispositione, nullam habent difficultatem in suis actibus. Quod si ex usu videantur acquirere aliquam facilitatem, hæc non causatur ex habitu virtutis, sed ex remotione impedimentorum tantum, sicut instrumenta externa ipso usu fiunt politiora et aptiora.

Suppono 3^o non esse virtutem in sensibus internis

1. Hic q. 56, a. 1, o.

apprehensivis; quia virtus est habitus perfectus quo non contingit nisi bonum et perfectum operari: unde oportet quod virtus sit in illa potentia quæ est consummativa boni operis. Atqui cognitio veri non consummatur in viribus sensitivis apprehensivis, sed hujusmodi vires sunt quasi præparatoriæ ad cognitionem intellectivam. Ergo in hujusmodi sensibus non sunt virtutes quibus cognoscitur verum, sed magis in intellectu¹.

Neque obstat quod sint virtutes in appetitu sensitivo, ut modo dicemus. Disparitas est quod appetitus sensitivus moveatur a voluntate, et ideo opus appetitivæ virtutis consummatur in appetitu sensitivo, et propter hoc appetitus sensitivus est subjectum virtutis. At potentiæ sensitivæ apprehensivæ magis se habent ut moventes respectu intellectus; phantasmata enim se habent ad animam intellectivam sicut colores ad visum, et ideo opus cognitionis in intellectu terminatur. Quapropter virtutes cognoscitivæ debent poni in ipso, et non in sensu².

Suppono 4^o intellectum, etiam secundum se consideratum, esse subjectum virtutum intellectualium; quia intellectus secundum se est indifferens, non quidem indifferentia libertatis, sed perfectibilitatis in ordine ad suum objectum; potest enim illud bene vel male attingere, scilicet attingere verum aut falsum sub ratione veri, estque non parva difficultas in inquisitione et assecutione veritatis. Unde indiget habitibus qui illum quantum ad hæc perficiant. Et sunt intelligentia, sapientia, scientia et ars³.

Sed, quia illæ virtutes dant tantum facultatem bene operandi in suo genere, non ipsum actum reddunt moraliter bonum et honestum, nec faciunt hominem simpliciter bonum, sed secundum quid et cum addito, puta bonum philosophum, bonum grammaticum, bonum fabrum; ideo virtutes intellectuales non dicuntur virtutes simpliciter, sed secundum quid, quia nomen virtutis pri-

1. Ibid., a. 5, o. — 2. Ibid., ad 1. — 3. Ibid., a. 3, o.

mario impositum est ad significandum principium rectitudinis moralis¹.

At vero, si intellectus tam speculativus quam practicus consideretur ut motus a voluntate, cujus est movere alias potentias ad suos actus, et quæ est principium totius boni moralis; ideo enim homo bene agit moraliter, quia habet bonam voluntatem: tunc in intellectu possunt esse virtutes simpliciter dictæ, et sic est prudentia in intellectu practico².

Suppono 5^o in voluntate esse virtutes in ordine ad bonum supernaturale, qualis est charitas erga Deum, et in ordine ad bonum proximi, quia utrumque bonum non est satis proportionatum voluntati. Bonum enim supernaturale excedit proportionem voluntatis quoad speciem, cum sit supra totam speciem naturæ; bonum alienum excedit quoad individuum, quia hoc ipso quo voluntas est radicata in hoc supposito per differentiam individualem, est determinata ad bonum proprium suppositi, juxta illud Philosophi: « Amabile bonum cuique proprium. »

Restat ergo difficultas quantum ad duo, scilicet: utrum sint virtutes in voluntate circa bonum proprii suppositi, et in appetitu sensitivo ut moto a voluntate? Itaque

Dico 1^o: Non sunt in voluntate virtutes circa bonum rationis proprium et privatum, sed hæ sunt in appetitu sensitivo, ut mox probabitur. Est contra Scotistas et quosdam alios.

Prob. 3. Ponuntur virtutes in potentia, quando potentia non est de se completa, perfecta, expedita et proportionata suo objecto, indeque patitur difficultatem in ipso attingendo. Atqui voluntas circa bonum rationis proprii suppositi est completa, perfecta, expedita et proportionata. Ergo. — *Prob.* min. Voluntas, utpote appetitus rationalis, nihil est aliud quam ipsamet inclinatio ad

1. Ibid. — 2. Ibid. — 3. Ibid., a. 6, o.

bonum rationis. Ergo vel ad nullum vel ad proprium bonum inclinatur complete, perfecte, expedite, nempe cum sit ei proportionatum quoad speciem, et id est quatenus naturale, et quoad individuum. Qua ratione probatur voluntatem esse completam et proportionatam, non solum ad bonum proprium physicum, ut quidam volunt, sed etiam ad bonum proprium morale et honestum; quia est essentialiter inclinatio rationalis, consequenter ad bonum proprium rationi consonum.

Objicies 1^o : Voluntas patitur difficultatem in assequendo bono rationis proprio in materia temperantiae et fortitudinis. Ergo indiget perfici virtutibus.

Resp. Dist. ant. Voluntas patitur difficultatem in assequendo bono rationis proprio ab intrinseco et per se, *nego*; patitur difficultatem ab extrinseco et per accidens, *conc.* ant. et *nego* conseq. Hæc ergo difficultas non provenit ex hoc quod voluntas non sit satis completa et proportionata ex se huic bono, et quantum ad speciem, et quantum ad individuum, sed ex aliquo impedimento extrinseco, scilicet ex immoderantia passionum. Ut autem tollatur hæc difficultas, non requiritur virtus in voluntate, sed sufficit quod tollatur impedimentum per moderationem passionum, quod fit per virtutes temperantiae et fortitudinis in appetitu sensitivo, ubi istæ passiones resident.

Objicies 2^o : Voluntas est capax vitii inclinantis in malum rationi adversum. Ergo et virtutis in bonum rationi consonum.

Resp. Nego conseq. Disparitas est quod voluntas secundum se non sit complete et perfecte propensa in malum proprium rationi adversum. Unde non mirum, si repetitis malis actibus acquiratur vitium inclinans in bonum rationi contrarium. At est secundum se complete et perfecte inclinata et proportionata in bonum proprium rationi consentaneum. Unde, quantumvis repetantur hujusmodi actus boni, non magis acquiratur virtus, quam per frequentatos descensus acquireretur in lapide habitus inclinans ipsum deorsum. Sed, si quid difficultatis voluntas patiatur, tollitur per virtutes temperantiae et fortitudinis

in appetitu, aut vincitur per habitus continentiae et constantiae in voluntate.

Dico 2^o : Appetitus sensitivus, prout natus est obedire rationi, est subjectum virtutis, scilicet temperantiae et fortitudinis¹. Est communis contra Scotistas.

Dixi, « prout natus est obedire rationi; » quia appetitus sensitivus, secundum se consideratus et prout est communis homini et bruto, certo non est subjectum virtutis².

Prob. 3. Actus qui progreditur ab una potentia mota et alia movente, non potest esse perfectus, nisi utraque potentia sit bene disposita : sicut actus artificis non potest esse congruus, nisi artifex et instrumentum sint bene disposita. Atqui, licet voluntas movens sit secundum se bene disposita ad bonum proprium rationis, ut dixi, non tamen ita est dispositus appetitus sensitivus quando movetur, qui cum voluntati non subjiciatur despotice, sed politice tantum, a ratione sæpe exorbitat, et sine perfectione virtutis superaddita non nisi difficile et cum repugnantia ipsi obedit. Ergo.

Confirm. Ponenda est virtus in subjecto capaci et indigenti. Atqui appetitus sensitivus, prout natus est obedire rationi, est capax virtutis et ea indiget. Ergo. — *Prob.* prima pars minoris. Ut potentia sit capax virtutis, requiritur 1^o quod possit dirigi a superiore; 2^o quod non sit determinata ad unum modum operandi; 3^o quod sit elicitive actus perfecti. Atqui appetitus sensitivus 1^o potest moveri et dirigi a ratione superiori; 2^o non est determinatus ad unum modum agendi, scilicet conformiter rationi, sed sæpe ab ea deviat; 3^o potest elicere actum perfectum, dum nempe ejus passiones sunt temperantia, fortitudine et aliis virtutibus annexis moderatæ. Ergo. — *Prob.* secunda pars minoris. Appetitus sensitivus patitur graves difficultates in moderandis passionibus concupiscibilis et irascibilis. Ergo indiget virtutibus ad eas superandas.

1. Hic q. 56, a. 4, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid.

Dices : Virtus est bona qualitas mentis. Atqui appetitus sensitivus non pertinet ad mentem. Ergo.

Resp. *quod mens* in definitione virtutis sumi late pro omni facultate quæ rationem participat. Atqui appetitus sensitivus, prout movetur a voluntate, rationem participat. Ergo.

Pro solutione objectionum habenda est semper præ oculis dependentia appetitus sensitivi a voluntate, a qua actualiter motus, participat rationem circa bonum honestum singulare, id est electionem voluntatis, et perfectam libertatem, et mediante ipsa regulariter per prudentiam existentem in intellectu practico.]

ARTICULUS III

De causa virtutum.

[Suppono 1^o esse in nobis a natura quædam semina virtutum tam moralium quam intellectualium ¹. Sunt enim in natura hominis quædam principia communia naturaliter congenita, tam scibilibus quam agendorum, ut in ratione quædam principia naturalia recti et honesti, in voluntate inclinatio naturalis in bonum rationis. Sic etiam in individuis sunt quædam dispositiones ad virtutes, ut quidam sint proniores ad scientias, alii ad fortitudinem, alii ad temperantiam; unde dicitur, *Job*, xxxi, 18 : *Ab infantia mea mecum crevit miseratio*. Hæc autem semina non sunt essentialiter virtutes completæ et consummatæ; quia id quod est homini a natura, est omnibus hominibus commune, et non tollitur per peccatum, nam etiam in dæmonibus naturalia manent, ut dicit S. Dionysius, c. 4 *de Div. nomin.* Atqui virtus non inest omnibus hominibus, et tollitur per peccatum, saltem frequentatum ². Ergo.

Suppono 2^o quasdam virtutes actibus nostris iteratis

1. Hic q. 63, a. 1, o. — 2. Ibid., in arg. *Sed contra*.

acquiri ¹, juxta vulgatum axioma : « Ex repetitis actibus fit habitus. » Ratio est quia, quamvis agentia quæ habent in se solum principium activum suæ operationis, non acquirant agendo habitum, ut calefactio non confert igni habitum calefaciendi; agentia tamen quæ habent in se simul et principium activum et principium passivum sui actus, quatenus principium immediate elicitive actus non elicit illum nisi motum ab alio superiori principio in eodem agente existente, per repetitos actus acquirunt habitum, in quantum ex principio superiori movente derivatur in principium elicitive actus quædam impressio habitualiter permanens et expediens ad facienda ea quæ facit ex motione superioris : quæ impressio fixa dicitur habitus, et si sit ad verum aut bonum honestum, dicitur virtus. Sicut ergo ex eo quod intellectus agens moveat passibilem imprimendo ei species et notiones, acquiritur virtus intellectualis, v. g., scientia; ita ex eo quod intellectus moveat voluntatem, et voluntas appetitum sensitivum, acquiritur per actus repetitos et in voluntate et in appetitu sensitivo virtus, hoc est inclinatio permanens et firma ad bonum honestum.

Quæstio itaque superest, utrum, præter virtutes morales acquisitas, sint aliæ in nobis a Deo per se infusæ.

Equidem virtutes theologicas esse a Deo nobis per se infusas, dogma fidei est definitum in concilio Trident., Sess. vi, c. 7. Item virtutes morales actibus nostris acquisibiles posse, sic Deo dispensante, nobis per accidens infundi, non est dubium, cum in hoc nulla sit implicancia, et sic fuerunt infusæ Christo et primo parenti. Sed difficultas est, utrum sint virtutes morales ordinis supernaturalis, non acquisibiles actibus nostris, nobis a Deo per se infusæ. Pro cujus resolutione,

Dico : Præter virtutes morales acquisitas, sunt aliæ a Deo per se nobis infusæ ². Est communis cum Angelico contra Scotum, cujus sententiam quidam theologi censura

1. Ibid., o. — 2. Hic q. 63, a. 3, o.